AMOR IUDEX DE S. SPIRITUS ADUENTU ORATIO HABITA IN SACELLO...

Pier Sante Buti, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

SANCTISSIMO DÑO NOSTRO

ALEXANDRO OCTAVO.

PONTIFICI MAXIMO.

PETRVS SANTES BVTIVS Felicitatem.

AMOR Iudex, qui hodiernâ luce in hoc orbe terrarum ſuum erigit Tribunal, ut Amorem cum Iuſtitia componat nullibi ſiſtitur meliùs, quàm in tuo terrenæ ſolio Diuinitatis; in Te

ſiquidem uno quidquid Diuinus edocet Amor exprimitur, dum diſſitas inter ſeſe genio virtutes, Amorem ſcilicet, & Iuſtitiam mirabili nexu coniungis; alterâ ſiquidem in criminum pænam, alterâ in meritorum vteris munificentiam. Singulare profectò humanitatis tuæ munus erit, orationem hanc meam, quæ tuas adumbrat, dum diuinas refert virtutes, alis Aquilæ tuæ dominatricis fouere, in quarum vmbra ne dicam, an die? orbis terrarum uniuerſus feliciſſimè conquieſcit. Vale

ORA-

ORATIO.

QVID eſt B.P. quòd hodiernâ luce Diuinus Amor ſua munera profuſurus in terram Iudicis perſonam aſſumat, & tumultuoſo flammarum ſatellitio ſtipatus novum erigat in verticibus Apoſtolorum Tribunal, atque conſcendat: *ſeditque ſupra ſingulos eorum*. *Sedere enim* (ſi magno Diuini Amoris interpreti, Gregorio ſcilicet, credimus) *iudicantis eſt*. Num peregrinam ſibi facultatem iudicandi modum mortales edocet Amor? Iniuit fortaſſe inauditum retro fœdus cum Amore Iuſtitia, vt iam vnà ambo conveniant, & in una ſede morentur? Admirabitur orbis terrarum inuiſum antea prodigium amorem Iudicem? Ita profectò res habet, nec aliò tantum prodigiorum apparatum collimaſ-

ſe crediderim, quàm ut maiori viam aperiret miraculo, utque hebetes mortalium animi erigerentur ad novum, ac ferè inviſum in terris prodigium ſuſpiciendum, Amorem ſcilicet Iudicem.

Exulauit ſemper à Tribunalibus, & æquiſſimis Iudiciorum ſubſellijs Amor; numquam illi cum Iuſtitia conuénit, quique diſertiſſimus omnium munera obire quaſcumque ſe vertit in formas, Iudicis adhuc perſonam non ſumpſit, & iudicantis munus hactenus non exercuit. Iniquum rerum Æſtimatorem cauſarum meritis cæcutientem leges omnes ab Iudicum ſuffragijs amouerunt. Nec immeritò: nam vbicumque præſidet Amor actum eſſe de iuſtitià nemo non videt, ſuo enim ille rationes librat arbitrio, nec alias adhibet lances, quam voluntatis. Cæcus, & profuſus donorum Largitor, quos damnare deberet abſoluit, & præmijs afficit, qui puniendi. Quid luce pulchrius, quid innocentius? Quid contrà, tenebris fædius, quid criminoſius? Tamen cum lux à tenebris circumuenta ad Amoris Tribunal appellaſſet (quis crederet?) proſcriptâ luce iniquiſſimus Iudex tenebris adiudicauit, *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*.

Diſſo-

Diſſonum magis ab æquitate iudicium, quis ferre poterat? Sed ità accidat neceſſe eſt, vbi ſententiam profert Amor Iudex, cui ſemper aſſidet error. Suo tamen hodiernâ die amorem reuocat ab exilio Diuinus Amor, & Iudicis ipſe perſonam induens, ac Tribunal aſcendens, quos terrarum orbis Iudices facit, facit amantes, vt diſcordiâ amantis, & iudicantis munera inter ſeſe componat, quin nullum doceat ſine amore iudicium optimum eſſe, & nequiſſimum Iudicem, non amantem. Deturbetur ſanè à ſubſellijs Amor iudicaturus ſi cæcus, at nullum vacet amore oculato Tribunal, hunc ſuum eleuet in ſolium Iuſtitia, hunc ſibi illa ſui conſortem aſciſcat imperij, vt in plectendo rigorem iuſtitiæ mitiget Amor, & Amoris in largiendo profuſio Iuſtitià caſtigetur. Sic cum Amore altera puniet, nec vllum ſine ſuffragio meritorum donis alter afficiet. Et ſanè non niſi Diuino conſilio Amori ſuo commiſit Deus orbis terrarum iudicium *arguet mundum de peccato*, qui licet ſit *munerum dator*, cum tamen Diuinà ab Intelligentià procedat totus, *eſt Lumen*, vbi nempe Amor intelligat, & ſolum quod intelligit velit, ibi

æquiſſi-

æquiſſimus Iudex Amor præficitur. Atque hac ſolum de causà crediderim Apoſtolorum Principem à corporata Diuinitate etiam tertiò interrogatum an amaret, antequam ſupremam Orbis iudicandi poteſtatem illi conferret. Et quorsùm hæc? niſi vt homines edoceret, non adeò ab Amore Iuſtitiam eſſe diſcordem, vt mutuo fædere nequeant inter ſe copulari, quin eam optimam eſſe ſententiam, quam proferat Amor Iudex.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EM...